

PARVA DE NOSSIDE POETRIA

Pro poetria Nosside ac de epigrammatibus eius quae in Anthologia Palatina inveniuntur (¹) revera dicere possumus quod Propertius lyricus de viris illustribus et excellentibus factis gestisque in vita versu suo canit: *In genio stat sine morte decus* (III, 2, 25). Etiam poeta Antipater Thessalonicensis iure dysticha poetriae optime aesthetica qualitate verbo θηλύγλωσσος aestimavit (²). Meleager autem totam poesin Nossidis cum flore iridis comparavit dicens :

σὺν δῷ ἀναμίξ πλέξας μυρόπνουν εὐάνθεμον Ἰριν
Νοσσίδος, ἃς δέλτοις αηρὸν ἔτηξεν "Ἐρως"

videns in expressione eius poetica in rebus amatoriis quandam amoenitatem Cupidinis esse.

Poetria Nossis exeunte quarto aut ineunte tertio saeculo a. Ch. n. vivebat et ut poeta videlicet princeps scholae Locris Episephyriis fuit (³). Verisimile est eam cum aliis poetis epigrammatibus suis opera artis celebravisse. Sed praecipue vis eximia eius artis lyricae in depingendis imaginibus faciei humanae versiculis amoenis inest.

Forsan imagines humanae in pictura factae a variis artificibus Graecis iam ineunte quinto saeculo a. Ch. n. influxerunt in poetas Nossidis temporis, ut id, quod pictores coloribus depinxerunt, verbis in epigrammate exprimerent. Exempli gratia scimus pictorem Apellem testante poeta anonimo in Anthologia Palatina (IX, 595) imaginem propriam pinxisse:

... αὐτὸς ἔσωτὸν ἐν εἰκόνι γράψεν Ἀπελλῆς.

1) *Anthologia Palatina*: V, 170; VI, 132, 265, 273, 275, 353, 354; VII, 414, 718; IX, 332, 604 et 605. Editione critica: *Anthologia Graeca (Palatina)*, vol. I—IV usi sumus in redactione H. Beckby edita a E. Heimeran, Muenchen 1957—58.

2) Antipater Thessalonicensis, A. P., IX, 26.

3) Cfr. auctores: C. Gessi, *Poesia ellenistica*, Bari 1992, p. 342 et ss.; U. v. M. Wilamowitz, *Hellenistische Dichtung*, I Berlin 1924, p. 135; N. Lisi, *Poetesse greche*, Catania 1933, p. 198 et ss. deinde: Carugno, G. Nosside in comm. *Giornale italiano della filologia classica*, 1957, p. 324 et ss., praecipue p. 335 ubi Carugno tractat de Nossidis epigrammatibus sine analysi expressionum lyricarum.

Praecipue vim expressionis lyricae apud proetriam Nossidem videmus eique libenter propter simplicitatem lyricam obviam in lectura nostra quinque ex duodecim epigrammatum eius in Anthologia Palatina conservatis imus ut ibimus, quia ex alis sunt epigrammata votiva (¹), unum sententiosum amatorium (²), unum encomion fortitudinis (³), unum invocatio Artemidis pro puerpera (⁴) et postremo unum ut laus poeseos ipsius est (⁵).

Totam vim lyrice expressam fideliterque dictam in vocabulis Nossidis poetiae invenimus. Haec vocabula simplicia poetria nostra ex poetis notis non hausit, sed eisdem in carminibus suis brevibus imaginibus poeticis novum robur poeticum non pendens ex expressione aliorum donavit. Brevitas epigrammatum Nossidis naturam verae poetiae lyricae explanat. In ea enimvero virtus carminis egregii semper videtur, quamquam metris simplicibus Nossis usa est. Haec poetria suam indolem muliebrem amoeritate singulari insequitur modo poetae Bacchylidis qui in fragmento conservato cecinit :

ἀρρήτων ἐπέων πύλας
ἔξευρεν. (5, 14)

In epigrammatibus poetiae omnia verba ad imaginem poeticam evocandam sculpendumque selecta sunt. Hoc modo plenitudo phantasiae in vocabulis simplicibus more intuitivo expressa est. In primis his verbis electis poetria expressionem psychologicam consecuta est tali modo, ut imago faciei humanae in animo lectoris quattuor dystichis epigrammatis ut viva similitudo esset. Nos existimare possumus etiam omnia eius epigrammata conservata in Anthologia Palatina eleganter et tenere scripta esse.

Hae omnes qualitates lyricae in epigrammate (⁶) videmus in quo poetria Mellinam illam puellam hoc modo ut pictor - poeta tenere describit :

Αὐτομέλιννα τέτυκται· ἦδ', ώς ἀγανὸν τὸ πρόσωπον
ἀμὲ ποτοπτάξειν μειλιχίως δοκέει·
ώς ἐτύμως θυγάτηρ τῷ ματέρι πάντα ποτύκει.
ἡ καλόν, ὅκκα πέλῃ τέκνα γονεῦσιν ἶσα.

Expressio poetica in vocabulis ἀγανὸν πρόσωπον coniuncta cum ex-

1) Votiva epigrammata sunt : AP, VI, 265, 275 et IX, 332.

2) Amatorium : AP, V, 170.

3) Encomion fortitudinis : AP, VI, 132.

4) Invocatio Artemidis : AP, VI, 273.

5) Laus poeseos : AP, VII, 718.

6) AP, VI, 353.

pressione plena psychologiae fidelitatis invenitur in verbis μειλιχίως δοκέει pertinentia ad oculos. Significatio teneritatis et amoenitatis in quibus pulchritudo est. Vocabulum ἀγανὸς apportat hilaritatem vitalem adiuvante pulchritudine faciei; μειλίχιος id est tener pro oculis. Haec adiectiva poetria miro modo ad evocandum sensum pulchritudinius coniungit. Ideo, ora + oculi expressiones in quibus praecipue omnia sunt pertinentia ad formositatem puellae. Mira est exclamatio: 'Η καλόν. Praecipuam partem epi grammatis in evocatione formositatis verae omnes lectores cum admiratione inveniunt.

Pictura Sabaithidis (¹) hoc modo descripta:

Γνωστὰ καὶ τηνῶθε Σαβαιθίδος εἶδεται ἔμεν
ἄδ' εἰκὼν μορφῇ καὶ μεγαλοφροσύνῃ.
Θάεο· τὰν πινυτὰν τό τε μείλιχον αὐτόθι τήνας
ἔλπομ· δρῆν· χαίροις πολλά, μάκαιρα γύναι.

Haec pictura staturam pulchram illius muliebris et habitum nobilem eius animi vocabulo μεγαλοφροσύνα describitur. Vocabulum ex duobus verbis compositum ad qualitates animi quas in expressione oculorum pulchrorum videmus pertinet. Facies eius expressionem veram secundum adiectiva πινυτὰν καὶ μείλιχον habet. Verba χαίροις πολλὰ significant Sabaithidem formositate sua omnibus gaudium praebere et propterea Nossis carmen suum vocabulo μάκαιρα b e a t a aut f e l i x finivit. Vocabulum videtur significationem non b e a t a in sensu m o r t u a, sed b e a t a aut f e l i x propter evocandi sensus pulchritudinis in cordibus humanis habere. Aliter Hermann Beckby in commentario suo de hoc verbo existimat (²).

Epigramma - epitaphium dedicatum Rhinthoni Siracuseo (Tarentino?) qui circa 300. a. Ch. n. vivebat et ut scriptor et histrio miro modo hilares parodias ex tragediis faciebat et recitabat, his verbis viatorem, ut poetria effinxit, alloquitur (³):

Καὶ καπυρὸν γελάσας παραμείβεο καὶ φίλον εἰπὼν
ἔρημ· ἐπ' ἔμοι, 'Ρίνθων εἰμ· ὁ Συρακόσιος,
Μουσάων ὀλίγη τις ἀηδονίς· ἀλλὰ φλυάκων
ἐκ τραγικῶν ἔδιον κισσὸν ἔδρεψάμεθα.

Forsan infra statuam inscriptio erat aut infra picturam Rhinthonis. Verba καπυρὸν γελάσας significant vero risum hilare, quia viator memor

1) AP, VI, 354.

2) H. Beckby in cit. ed. Anthol. Pal., vol. I, p. 675, n. 354 ubi dicit ad versum 4.: Selig: also toti

3) AP, VII, 414.

artis optimae Rhinthonis hoc facere libere potest. Hic occursus spectatores hilarotragoediarum cum artifice earum scenico erat. Occursus hominis vivi cum mortuo qui ut artifex in memoria vivorum opere suo semper vivit. Poetria cecinit Rhinthonem : ὅλιγη τις ἀηδονίς· ἀλλὰ φλυάκων ἐκ τραγικῶν ἔδιον κισσὸν ἐδρεψάμενα existimans humore per ironiam in eos qui putent tantum scriptores tragoeiarum magnos poetas esse. At Rhinthonem opportet felicem esse propter successum suorum operum quod serio coronis hederae coronatus esset.

In altero epigrammate (¹) videmus picturam Thaumaretae depictam hoc modo :

Θαυμαρέτας μορφὰ δύπναξ ἔχει· εὗ γε τὸ γαῦρον
τεῦξε τὸ θύραῖον τᾶς ἀγανοβλεφάρου.
σαίνοι κέν σ' ἐσιδοῖσα καὶ οἰκοφύλαξ σκυλάκαινα
δέσποιναν μελάθρων οἰομένα ποθορῆν.

Haec μορφὰ significant picturam capitidis id est faciei totius formositatem Thaumaretae pictor expressione pulchra quae lucet ex oculis mulieris consecutus. Nossis vocabulis γαῦρος =l a e t u s et c o n s c i e n s s n i autem compositione vocabulorum ἀγανὸν + βλέφαρον m i t e s + p a l-
p e b r a e creavit epitheton pulchritudinis muliebris. Formositas lucens quam videmus describente poetria ex oculis matura est ut fructus auctumnalis, ut pomum pulchrum in ramis arboris sole illuminatum.

Non solum pictor formositatem eximiam pictura sua creavit depingens Thaumaretam, sed etiam illam evocationem pertinens ad similitudinem miram quomodo canicula eius videns picturam dominae illam vere adesse putaret. Deinde comparatio in descriptione formositatis perfectae a pictore et similitudinis eodem modo consecutae immo plena verae lyricae expressionis est.

In quinto epigrammate (²) Nossis dicit flavam Callonem in templo Veneris imaginem suam manu propria pictam dedicavisse. Omnes videntes picturam expressione potentem putant imaginem Callonis totam amoenitatem habere :

Τὸν πίνακα ξανθᾶς Καλλώ δόμον εἰς Ἀφροδίτας
εἰκόνα γραψαμένα πάντ' ἀνέθηκεν ἵσαν.
ώς ἀγανῶς ἔστακεν· ἔδ', ἀ χάρις μλίκον ἀνθεῖ.
χαιρέτω· οὐ τινα γὰρ μέμψιν ἔχει βιοτᾶς.

In versu quarto poetria lyrical comparisone pulcherrima formositatem Callonis cum flore comparavit. Callo florens ut flos pulchritudinis flo-

1) IX, 604.

2) IX, 605.

rebat. Haec comparatio valde ingenua et apud poetas Anthologiae Palatinae hoc modo expressa exceptionem imaginis lyricae ob oculos lectorum ponit. Poetria his verbis primum evocat sensum pulchritudinis comparans eam cum flore, deinde sensum quomodo omnia transeuntia sicut flores in orbe terrarum sunt. Nossis in fine epigrammatis dicit vitam huius mulieris integrum scelerisque puram fuisse.

Hanc analysis philologico—aestheticam fecimus desiderantes ostendere poetriam Nossidem quinque epigrammatibus perfectas imagines lyrice expressisse in quibus ingenuis ac simplicibus vocabulis exitum lyricum valde pulchrum dedit. Nonnulla adiectiva ut epitheta ornantia exempli gratia: ἀγανός, μειλίχιος etiam comparationes pro successu similitudinis personae depictae cum eius habitu naturali, deinde formosissima imago poetica in qua Nossis canit pulchritudinem muliebris faciei oculorumque similem florenti flori testes expressionis singularis sunt.

Animadversionis nostrae finem facere tandem possumus conclusione poetriam Nossidem non solum in quinque memoratis epigrammatibus sed etiam in omnibus conservatis in Anthologia Palatina sua expressione lyrica iuxta carmina Sapphonis esse, illius poetriæ de qua Strabo tersute dixit: θαυμαστόν τι χρῆμα.